

sint per terram suam liberi ab omni tra-
uerso ⁊ pedagio.

Uiris venerabilibus dominis ⁊ amicis carissimis abba-
ti totiq; capitulo **L**isterciē ordinis **H**. **F**landr et **C**lironē co-
mes **S**alutē ⁊ sincerā dilectionē cum plenitudine voluntatis
vniuersitati vestre grates copiosus refero de fraternitatis ve-
stre cōmunionē que mihi a vestre caritatis liberalitate proxi-
mo anno benigne indulta est/ **U**nde ⁊ vniuersis fratribus or-
dinis vestri liberaliter concedo vt ipsi cum vniuersis que ipso-
rum sunt ad vsū eorū necessaria ab vniuerso trauerso ⁊ peda-
gio liberi p̄ terram meā transeant imp̄petuū.

Domin⁹ **B**irardus comes **M**atisconē
cupiens fieri particeps orationū ordinis
dat omnibus fratribus eiusdē ordinis
liberam potestatē eundē ducendi ⁊ ven-
dendi res pp̄rias ⁊ emendi per omnē ter-
ram suam ⁊ per aquas absq; pedagio vel
alia exactione recipitq; omnes fratres or-
dinis ⁊ res eorum in sua tuitione et cu-
stodia. ⁊c.

In dei nomine **E**go **B**irardus comes **M**atisconensis
cupiens fieri particeps orationum ⁊ spiritualium beneficio-
rum fratrum ordinis **L**istercij pro remedio anime mee ⁊ paren-
tum meorum in generali capitulo abbatū ordinis **L**istercij de-
di ⁊ concessi omnibus fratribus ipsius ordinis liberam pote-
statem eundē/ducendi/portandi/ ⁊ vendendi res proprias et
emendi ad omnia sibi necessaria per omnem terram meam ⁊
per aquas absq; pedagio ⁊ omni alia exactione vel costuma

Omnes etiā fratres ordinis Cisterciensium et omnes res eorum in tuitione mea et custodia recepi/ ut libere et secure per totā terram meā ipsi et res eorum eant et veniant/ et si forte damnum aliquod in terra mea ipsi aut res eorum fecerint capitale reddendo liberi et quieti remaneant. Huius rei testes sunt magister Arpinus notarius meus/ Wilhelmus de Chamis/ Wilhelmus de ceis/ Humbertus de paerna. Ut autē hoc donum ratum semper et inconcussum permaneat sigilli mei impressione cartam hanc confirmo. Anno ab incarnatione domini Millesimo centesimo septuagesimo tertio. Rege Luduico regnante.

Dominus montis beleti dat omnibus abbatibus ordinis Cisterciensium liberum transitum per terram et aquam in tota potestate sua sine pedagio exactione et seculari consuetudine.

Ego Delardus dominus montis beleti volo notum fieri presentes litteras inspecturis/ quod Delardus pater meus pro remedio anime sue et omnium tam predecessorum quam successorum suorum me presente et laudante dedit beate Marie Cistercium et fratribus ibidem deo seruiantibus sed et omnibus abbatibus Cisterciensium ordinis in perpetuam elemosinam liberum transitum per terram et aquam in tota potestate mea sine omni pedagio et exactione et consuetudine seculari de omnibus rebus suis/ et hoc ipsum laudauit Agnes mater mea. Ut autē illa donatio maiorem obtineat firmitatem ego ipsam presentis scripti et sigilli mei patrocinio confirmavi/ et venerabilem Pontium Abatisconensem episcopum diligenter rogavi/ ut hoc ipsum sigilli sui appositione muniret/ ita quod si successu temporis aliquis contra predictam donationem veniret prefatus episcopus et successores eius in illum excommunicationis sententiam promulgarent. Ego igitur Pontius Abatisconensis episcopus prescripte donationis scripto sigillum meum apposui ad preces viri nobilis memorati.